

SELIUS in literis 28. Martii 1684. ad me datis haut obscuro innuebat, cum sententiam meam circa Experimenti Stutgardiani vel magis (ut habent ejus verba) circa hermeticè sigillati Thermoscopii rationes exquireret: Quæ quidem assertio intuitu primo adversâ fronte pugnare videbatur cum Phænomeno nostro V. deinceps autem, cum ad notabile discrimen inter hunc & istum occludendi modum curatiùs attendissemus, ita rem habere non solum posse, sed necessariò quoque habere, facile perspeximus, ex ea ratione, quam inter enarratorum Phænomenorum causas porrò recensendas explicatiùs proponemus.

VIII. Referrì huc meritò possunt experimenta superioribus similia circa pilulas cereas innatantes & emergentes adnotata, & fusiùs exposita ab *Honorato Fabri* Scient. Phys. Tract. V. Lib. II. sub fin. Digress. II. quæ cum maximam partem à nobis quoque tentata fuerint, in compendio hîc enarrasse juvabit, præsertim, cum novæ quædam circumstantiæ sese hinc inde nobis obtulerint. 1. Pilulæ cereæ cum pulvere vel scobe ferrea temperatæ ut aquâ tantulo leviores sint (nobis econtrâ ligneâ scobe temperanda fuit cerâ pice ac terbinâ mixtâ) intra cannas angustiores, ubi lucerna accensa supposita cannæ fuerit, sensim deorsum ruunt. 2. Quod si tamen, lucernâ paulò diutiùs admotâ, ultra teporem incaluerit aqua, illicò sursum redeunt. Quin 3. sic sublata & incalida cui innatant relictæ, posteaquam pristino frigori restituta fuerit aqua, ultrò iterum merguntur. Et 4. nos experti sumus hujusmodi pilulam, quæ gravior aquâ fundum petierat, ubi cannam seu phiolam (uti Chymici vocant) parvulam aquæ calidæ immerissemus, paulò post à fundo ad aquæ summa sensim sublevatam. 5. Quod si verò sublata intra incalenscentem aquam eximantur & in aëre refrigeratæ & indurata frigidæ aquæ denuò immergantur, fundum non petunt, sed supernatant. 6. Pressæ verò digitis aut inter utramque volam gyratæ priùs in eodem aëre, per frigidam postea statim

Phæn. VII.

Phæn. VIII.

Phæn. IX.

Phæn. X.

Phæn. XI.

Phæn. XII.